GABRIELIS LAUREANI

ANTISTITIS DOMUS PONTIFICALIS

CANONICI PATRIARCHALIS BASILICAE

PRINCIPIS APOSTOLORUM

PRIMI CUSTODIS BIBLIOTHECAE VATICANAE

LAUDATIO FUNEBRIS

HABITA

VII ID. SEPTEMBRIS ANNO MDCCCLI

A JO. BAPTISTA BRANCALEONI CASTELLANI

IN LYCEO SEMINARII ROMANI

POESEOS PROFESSORE

NUNC SUBSTITUTO CARDINALIS

A BREVIBUS PONTIFICIIS

Quanto doctrinarum, atque adeo romani huius cleri, et populi incommodo dicam contigisse, ut annis hisce postremis non pauci desiderati in urbe sint viri clarissimi, quorum alii quantumvis senes bono tamen publico visi sunt emori non debuisse, alii vero in medio vitae spatio, vel in aditu ipso, ac limine honoris acerbo funere corruerunt? Ac ne persequar singulos perspectos vobis Auditores, ac probe cognitos unum hic nominabo poeticae olim artis praeceptorem in Lyceo nostro, modestum germanae latinitatis haeredem, ut appellavit ad me scribens Eques Angelus Maria Riccius, exemplar antiquae virtutis, et sanctimoniae, Gabrielem inquam Laureanium, cui laudationis officium triste sane, atque acerbum, sed tamen justum, ac debitum a me est hodierno die persolvendum. Quam vellem, ut quemadmo-

dum ad honestandam Raphaelis Sanctii memoriam proposita in ejus funere est depicta ab ipso tabula longe omnium praestantissima, sic datum mihi nunc esset proferre vobis Auditores aliquid ex multis, quae vir literatissimus ligata ac soluta oratione scripsit elegantissime; plus hoc certe ad illius praestantiam ostendendam valeret, quam quantum eniti ego, atque efficere dicendo possim. At si vox haec, et facultas, quantula tandem sit, egregiis aliquando viris honori fuit, ejus certe laudi inserviat oportet, cujus informata olim est praeceptis optimis, et institutis. Quamobrem adeste mihi dicenti, Auditores, rogo vobis dum probavero, quantopere vir optimus de literis, ac praesertim latinis sit meritus, quantum pietatis studium cum literarum cultu sociarit, sic ut eo amisso praecipuum plane sit et lycei, et urbis lumen extinctum.

Sapientis nomen si quis existimet illis dumtaxat tribuendum, qui multarum rerum, ac variarum notitiam mente, ac cogitatione comprehenderint, qui investigare ac pervidere possint rerum ipsarum causas, et naturas, is utrum recte judicet, haud ego scio. Nam si vere est ab Horatio scriptum memoriaeque proditum *recte sapere,* hoc est sapientiam ipsam *scribendi esse et principium, et fontem,* enimvero qui bene, hoc

est accommodate, ornate, graviter scribendi facultatem sit adeptus, ille censendus omnino est sapientia instructus, ac munitus. Quod si justam merentur et admirationem, et laudem, qui facultatem hanc eximiam, et illustrem sint assecuti, quanto potiori jure praeconia sibi nostra vindicant, qui latine scribendi laude praestiterint? Haec enim romani populi propria lingua est, quae dominata olim in foro, et in rostris subjecto orbi, ac domito jura explicavit, quae consecrata postmodum christianis ritibus, et caerimoniis tantum splendoris obtinuit ac dignitatis, quam insonare adhuc audimus sacratissimi ore Principis ex vaticana illa arce vitae, salutisque praecepta cunctis late gentibus promulgantis. Atqui ut haec lingua tam nobilis, tam illustris plena majestatis, plena decoris ne langueret, atque obsolesceret, sed vero in hac urbe tamquam proprio in solo vigeret floreretque magis omni ope, et industria, exemplo praesertim suo Laureanius contendit. Atque ut a primis ejus studiis ordiamur, fatendum illud est, non ipsum prae se tulisse ab ineunte aetate ingenium alacre experrectum, quale in literatis plerisque viris scimus enituisse, sed tamen hujusmodi, in quo vis omnis et quasi flamma delitesceret, excutienda, excitanda postmodum studio atque eruditione – *doctrina quippe vim promo-*

vet insitam - ut cecinit Lyricorum princeps. Itaque praeclare posita in iis studiis opera, quibus aetas juvenilis informari solet in Seminarium Romanum admissus est. Florebant per id temporis in Gregoriano Athenaeo cum multi spectabiles scientia viri, tum inprimis thesaurus ille reconditarum artium, ac doctrinarum Ignatius Rossius Societatis Jesu, atque aevi sui splendor, ac decus. Quum Laureanius discendi ardore incensus mature sese adplicuisset seni doctissimo, is ut erat acutus, ac solers dispexit adolescentis mentem, et quandam quasi scintillam elucere vidit ingenii ad artes optimas, ac literas potissimum latinas, si eruditio, contentioque accederet, aptissimi. Quapropter haesitantem, suisque parum fidentem viribus confirmavit, erexit; atque inde factum est, ut egregiae spei adolescens tanto viro hortatore, et vero etiam adjutore propositam palestram alacri animo sit aggressus, confectoque cum laude Philosophiae, ac Theologiae curriculo se iterum abdiderit in literas, easque non primoribus, ut ajunt, labris attingere, sed imbibere penitus in animum induxerit. Neque enim imitari eos voluit, qui levi quadam imbuti literarum, et latini sermonis cognitione maximam se rem fecisse arbitrantur si decerptis hinc inde voculis, ac dicendi formulis quoddam quasi tessellatum opus scribendo con-

fingant, verum sibi proposuit imitandos Sadoletos, Bembos, Maffejos, Manutios, aliosque hujus notae viros, qui suo marte latine scripserunt, hoc est summo studio, ac labore id sunt asseeuti, ut propriam sibi, ae nativam bene loquendi formam compararint.

Praeelare quidem ex more suo Tullius in libro de Oratore - *praecepta loquendi subtilior cognitio literarum alit, libri confirmant, ac lectio veterum oratorum, ac poetarum* - hinc fit, ut qui ad bene dieendi laudem adspiret, is studere etiam poetis debeat, ex iis enim et affectuum motus, et rerum forma, et color, et orationis vis, et copia atque adeo numerus, coneentusque potissimum sumitur - *affinis enim oratori poeta*, ut idem Tullius scripsit, *numero adstrictior paulo, in amplificando aequalis, ac poene par*, sie ut, qui optima inelaruerunt pangendorum carminum facultate, iidem non mediocri eloquentiae laude plerumque floruerint. Quod ut ostendam exemplis aetati nostrae propioribus, cui non audita nomina Cunichii, Zamagnae, Mazzolarii clarissimorum e Societate Jesu poetarum? Atqui si degustamus horum politissima latina carmina aeque orationem splendidam, uberem, nervorum plenam, ae roboris demiramur. Id quum probe intelligeret Laureanius non latinis orato-

ribus dumtaxat vel historicis dandam sibi operam censuit, sed vero etiam poetis praesertim comicis, Plauto inquam, cujus sermone locuturas musas fuisse, si latine loquerentur, Varro affirmavit, itemque Terentio cujus fabulae propter linguae lautitiam a Laelio scriptae teste Tullio ferebantur. Tantum porro in illorum studio profecit, ut venustissimi utriusque auctoris stilum potuerit imitari: quod quidem quantae sit laudis existimare inde licet, quod nemo fere unus hujusmodi scriptionis genus sit ausus attingere. Miror equidem, Auditores, quoties lectitem senarios versus perelegantes a Laureanio florenti adhuc aetate compositos in funere Aloisii Godardii, ac recitatos in frequenti Arcadum coetu summoque cum plausu exceptos, adeo scilicet reconditam illam Plauti venustatem, nativumque leporem spirant, ac redolent. Itaque quum jam omnium sermone celebraretur ad munus poeticae facultatis tradendae vocatus in Gregoriano primum Athenaeo, postmodum in Lyceo Seminarii nostri tanta cum laude eo functus est, ut omnes praestantissimi doctoris partes explere sit visus. Quid enim dicam, ut auditores excitaret suos ad degustandam avidissimis sensibus, et quantum possent imitandam granditatem Maronis, Tibulli nitorem, majestatem

Propertii, Catulli venustatem? Ut arcessitus ad eloquentiae artem aliquot annos profitendam beatissima tulliani fluminis copia discipulorum mentes affatim rigandas curaret? Quae porro ad scribendum proponebat argumenta ita concinna, atque accommodata adolescentium igenio erant, ita dicendi flore polita, ut recte scribendi exemplar dixisses numeris omnibus absolutum : eo scilicet curas omnes intendebat suas , ut exquisitum recti, ac pulchri auditoribus suis sensum ingereret; in quo certe quidem literariae institutionis summa consistit.

Quum probe teneret eximiam Quintiliani sententiam – *praeceptorem* scilicet *non officium tantum in docendo sequi oportere, verum etiam affectum*, - ingenita sibi suavitate sic devinciebat discipulorum animos, ut quo vellet, facile impelleret non artium optimarum magis, quam vitae, morumque magister. Plures recitavit orationes in quibus temperatum dicendi genus secutus est, utpote ingenio suo miti, atque eleganti apprime accommodatum ita tamen, ut pro re, ac tempore impetus caperet et ad tullianam majestatem, ac robur assurgeret. Ex illarum numero mea quidem sententia peculiarem illa meretur commendationem qua disseruit, quibus studiis, atque artibus ad summum eloquentiae principatum Tullius

pervenerit; quod argumenti genus, cum in ipsa illa oratione graviter admodum, copioseque explicasset, amissam a se fuisse aegro quidem animo tulit. Quid vero de altera dicam, qua laudes complexus est Ignatii Rossii, quaque grati animi persolvit officium erga studiorum suorum auctorem, quem parentis in loco semper habuisset? Enimvero in ea oratione omnibus artis coloribus viri doctissimi imaginem sic expressit, ut quod de Virginio Rufo a Cornelio Tacito in exequiis disertissime laudato Plinius scripsit in Rossium perbelle cadat, nimirum *supremum ejus felicitati cumulum accessisse laudatorem eloquentissimum*. Plura ac varia, quae scripsit latina carmina ingenii sui monumenta praeclara collecta habebat eo consilio, ut in publicum ederet, sed quominus perficeret, horribiles, quibus afflicti sumus, urbis casus prohibuerunt; eaque quum antea Josepho Mezzofantio, et Aemiliano Sartio, ut erat modestissimus, probanda exhibuisset, summis extulerunt laudibus viri doctissimi; atque adeo Mezzofantius tanta elegantia captus, ac delinitus epigramma hujusmodi effudit ex tempore.

Dicitur haec Gabriel qui scripsit, at ipse Catullus
Mutato tantum nomine vivit adhuc.

Quam acri vero, ac subacto judicio iidem fuerint, quam parci, ac temperantes laudis, probe nostis Auditores.

Latinarum inscriptionum pangendarum ratio literatorum torquet adhuc, et fatigat ingenia. Namque et rem ita aperte explicare, nihil ut tamen redundet, ita limate, ac presse dicere, ut brevitas non pariat obscuritatem, ita argumento quidquam gratiae, et leporis adspergere, ut id non officiat simplicitati, opus quidem est, quod ingeniosissimo cuique molestiam creet, ac difficultatem. Et sane exiguo admodum numero sunt, qui post Morcellium omnium facile principem in hujusmodi scribendi genere claruerint. Illustrem recentiori aetate sibi famam pepererunt Lanzius, Schiassius, Gasperinius; verum qui cum Laureanio in hujus societatem laudis venire possint, paucos reperias, qui sit illi anteferendus, omnino neminem. Siquidem ille et singulari latini sermonis peritia, et assidua veterum lapidum observatione eam sibi facultatem collegerat perfectissimam.

Jamvero quum domi, forisque maximi fieret, mirum non est, si renuntiatus supremus Arcadiae custos munus illud amplissimum, quod quidem ex literarii coetus legibus certo temporis spatio definitur plaudentibus sociis omnibus ad

obitum usque tenuerit. Postea quam in docendo viginti, et amplius annos transegisset a Gregorio XVI alter custos factus est Bibliothecae Vaticanae, exinde ad officium primi custodis traductus, atque inter Antistites domus Pontificalis et Canonicos Vaticanos cooptatus. Qui in profitendis literis summam sibi conciliarat et admirationem et gloriam eadem cum laude in novi muneris curatione versatus est, atque opes eruditionis nostratibus, exterisque liberalissime communicavit. In bibliotheca versabatur assidue, neque exturbari ab ipsa valuit excitato recenti tumultu rerum, ac turbine, sic ut praesentia ipse sua, ac fama nominis ditissimum illum thesaurum doctrinarum, et artium ab injuria ac direptione vindicarit.

Hactenus de studiis, ac literis quae quidem ex me commemorata non perinde putetis, atque excellens viri ingenium postulasset. Nunc quid ego de illius virtutibus eloquar qui ab ineunte aetate quum sacris se devovisset, ad tantae dignitatis amplitudinem omnes suae vitae rationes plane composuerit? Qui nihil potius habuerit pietate in Deum, ad ejusque gloriam amplificandam curas omnes, ac labores intenderit? Tamquam in parentem filius, sic erga Genitricem Dei tenerrimo amoris sensu ferebatur, deque ejus laudibus saepissime auditoribus suis proponere ad scriben-

dum argumenta solebat. Moribus fuit suavissimis, planeque aureis, nihil ut illo humanius, nihil politius, essetque summis perinde atque infimis apprime carus. Quodcumque suscepisset munus, ejus partes alacriter obibat, ac religiosissime. Ob literarum, et latini sermonis exquisitam intelligentiam summo in pretio ubique habitus, et vero etiam principum virorum benevolentia, cultuque honestatus nunquam efferri visus est, verum ingenuo quodam suffundi pudore, qui non obesset ejus famae, verum etiam prodesset; nihil enim gratius, nihil admirabilius, quam admixta doctrinae modestia. Honores suffragio virtutis ultro delatos, non praensatione, non gratia, aut alia ambitionis arte quaesitos obtinuit memor praeclarissimae Horatii sententiae: *virtus repulsae nescia sordidae intaminatis fulget honoribus*, hoc est ab omni ambitionis labe puris, ac vacuis. Spectator calamitatum patriae vehementissime commotus est, oculi enim augent dolorem, neque avertere a miseriis animum sinunt, quare factum est, ut valetudinem, qua jam pridem literariis defatigatus laboribus non satis firma utebatur, debilitari magis, frangique sanserit, atque adeo recrudescente stomachi vitio adductus in extremum sit vitae discrimen. Quumque ego decumbentem convenissem, collectis ipse, ut potuit, vi-

ribus mecum est aliquamdiu collocutus; multaque dixit de tantis asperitatibus et rerum, et temporum, multa disputavit de brevitate humanae vitae, de fragilitate humanarum rerum; quam in iis non sint curae nostrae defigendae, contra vero in caelestem illam patriam spectandum assidue atque enitendum; adjecit porro se ex illo morbo extinctum iri, nec tamen angi, ac moerere, unum precari a me, ut divinae illum bonitati commendarem in qua una niteretur, ac conquiesceret. Atque haec quum ea constantia dixisset, quam parit securitas ex conscientia bene actae vitae non multos post dies omnibus Ecclesiae munitus praesidiis mortem oppetiit, si tamen fas est mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis, quam vita finita est. Vivit enim, vivetque semper, ut ejus ex virtute confidimus, apud immortalem Deum, vivit, vivetque semper, atque etiam latius in memoria hominum, et sermone versabitur, postquam ab oculis recessit.

Nunc vos breviter monendi estis adolescentes, qui Lyceum nostrum frequentatis. Exemplo tanti viri studete quaeso latinae linguae, quae vobis ad sapientiae arcana recludet aditum, et bene loquendi facultatem comparate: omnis quippe eruditionis supellex tamquam rudis, et informis est nisi expoliatur et illustretur oratione,

nisi commendetur majestate dicendi, qua remota, teste Quintiliano, *muta sunt omnia, et luce praesenti, et memoria posteritatis carent.* Denique propositis animo vestro quotannis summorum virorum imaginibus exardescite ad tantae virtutis imitationem , ac nolite committere, ut abundantibus vobis, et exemplis, et praemiis inhonesto torpentes otio vobis ipsi defuisse cum insigni nota turpitudinis aliquando videamini.

IMPRIMATUR

Fr. Th. M. Larco O. P. S. P. A. M. Socius

IMPRIMATUR

F. A. Ligi Archiep. Icon. Vicesg.

☧ ☧

FRANCISCVS . MARIA . BRVSCHIVS . FALGARIVS
EQVES . GREGORIANVS
A . CONSILIIS . PRAEF . PROV . CENTVMCELLENS.
EX . DECVRIONIBVS . CORNETANORVM
XXV.VIR.MVNIC.REGVND.IV.VIR.REI.PVBLICAE.CONSERVANDAE
PRAESES . RERVM . GERENDARVM

Hic . Corneti . Ortus . Luca . Antonio . Bruschio. Et . Magdalena . Avvoltia . A . Quibus . Diligentissime . Ad . Pietatem . Virtutemq. . Omnem . Institutus . Est . Ab . Ipsa . Adolescentia . Cum . Studio Tum . Moribus . Maxime . Iis . Se . Usque . Probavit Faliscodunum . Studiorum . Caussa . Missus . Omnibus . Litteris . Eruditus . A . Praeceptoribus . Sane Doctissimis

Disciplinarum . Curriculo . Confecto . Iuris . Consultus . Laureatus . In . Lyceo . Leoniano . Quam Iuris . Scientiam . Eruditionis . Laude . Auctam Ita . Novit . Ut . Eo . Doctore . Praestantissimi . Adhuc Viri . Gloriarentur

Flagrantissima . Sciendi . Cupidine . Elucens . Politiorem . Humanitatem . Excoluit . Rem . Rusticam Adamavit . Philosophiam . Praesertim . Et . Patriam Historiam . Habuit . Cognitissimam . Multiq. . Illum Litterati . De . Liberalibus . Disciplinis . Ac . Veterum . Studiis . Disserentem . Audiebant . Admirantes . Ab . Eo . Tantam . Disputandi . Vim . Tantamq. . Doctrinarum . Cognitionem . Comparatam

Magnis . Quoque . Viris . Propter . Prudentiam Integritatemq. . Acceptissimus . Apud . Plurimos . Insuper . Cardd. . Et . Episcopos . Et . Dyn. . Rom. Gratiosissimus . Fuit

Comitate . Suavitate . Modestia . Carus . Omnibus A . Pio . VI . Pont. . Max. . Benignissimo . Et . Providentissimo . Principe . Inter . Antistites . Urbanos . Designatus . Muneris . Dignitatem . Reveritus Sententia . Ac . Consilio . Ioan. . Andreae . Sodalis A . Passione . Iesu . Sanctissimi . Viri . Honorem Delatum . Recusavit

Nec . Quae . Subsequuta . Exinde . Est . Infausta . Temporum . Perturbatio . A . Religiosa . Invicti . Animi . Pietate . Et . Singulari . Illum . Atque . Immobili . Erga . Principem . Fide . Abducere . Vel . Minimum . Potuit . Ille . Quippe . Reversus . In . Patriam . Propositi . Tenax . Privatam Vitam . Oblatis . Praefecturis . Et . Magistratibus Antetulit

Perduellibus . Catholici . Nominis . Profligatis . Et Pace . Ubiq. . Restituta . Muneribus . Munic. . Et Provincialibus . Praeclarissime . Functus . Virtutis Studio . Sedulitate . Officiorum . Amorem . Civium Perpetuum . Emeritus . Est . Difficillimo . Rei . Publicae . Tempore . Hic . Decus . Hic . Salus . Patriae . Cuius . Primus . Magno . Tritici . Modo . Annonam . Adlevavit . Iura . Servavit . Maiestatem Ac . Dignitatem . Amplificavit . Sustinuit.

Is . Ad . Publicos . Sumptus . Praecidendos . Municipii . Vectigalium . Exactor . Grat. . Rem . Agrariam . Edictis . Solutam . Novis . Legibus . Reformavit . Mensam . Mutuariorum . Aeri . Alieno . Liberatam . Restituit

Altor. . Egenorum . Solator . Orbitatis . Iacenti Dexteram . Porrexit . Beneficentia . Et . Liberalitate Clarus . Rem . Familiarem . Coenobii . Virginum Benedictarum . Constituit . Corpus . Eius . Apud Eas . Ubi . Praeoptarat . Quaeq. . In . Angustiis Opem . Eius . Expertae . Conditum . Est

Vir . Caetera . Frugi . Abstinens . Nulli . Gravis Religionis . Studiosissimus . Fuit . Quoius . Vitam Morum . Innocentia . Insignis . Erga . Municipes Suos . Amor . Singularis . Cum . Eximia . Administratione . Abstinentia . Et . Significatio . Certa Constantis . Voluntatis . Ornarunt

Ad . Extremam . Senectutem . Mentis . Compos Prospera . Usus . Valetudine . Diem . Supremam Adventantem . Suffultus . Spe . Futurae . Beatitatis Serenus . Adspiciens . Et . Lugenti . Familiae . Fausta . Omnia . A . Deo . Adprecatus . Sanctissimo Exitu . Migravit . II . Kal. . Febr. . An. . M.D.CCC.L.II. Quum . Esset . Annorum . LXXXXII . Mensium XI . Dierum . V . Unaq. . Haec . Omnium . Vox In . Funere . Decessisse . Parentem . Publicum Instauratorem . Avitae . Virtutis

Have . Anima . Dulcissima . Incomparabilis
Bene . De . Patria . De . Civibus
De . Re . Publica . Merita
Have . Et . Vale . In . Pace ☧

S. C.

Estratto dall'Album di Roma, Anno XIX.